



773/1.



Rath 773/1



AUSTRIACA AUSTERITAS
in qua ostenditur
Quibusmodis & quo jure florentif-
simum quondam Liberrimumque
HUNGARIÆ
REGNUM, *Eigenes...*
An. 1670. Armis Regiis infestatum,
& quod Comitatus Ditionis Regiæ concer-
nit, defacto occupatum sit:
Summaque in Libertatis Majestate
à
FERDINANDO PRIMO,
Everti cœperit;
LEOPOLDO PRIMO autem
Contra omnia Jura, Divina & Humana, huma-
nitatis loquendo, vix non sit eversum:
ab
Authore Anonymo singulari fide conscripta,
Anno quo,
Regnantis Leopoldi primi ætate sVbLeste
rVlnatVr Pannonia.

VENETIIS, Typis Fratrum Veracii,
Constantini & Speracii.

AUSTRIACA AUSTRITAS

in qua ostenditur

Quibusmodis & quo jure florentif-
simum quondam Liberrimumque

HUNGARIÆ
REGNUM, *Eigenes.*

An. 1670. Armis Regiis infestatum,
& quod Comitatus Ditionis Regiæ concer-
nit, defacto occupatum sit:

Summaque in Libertatis Majestate

^a
FERDINANDO PRIMO,

Everti cœperit;

LEOPOLDO PRIMO autem
Contra omnia Jura, Divina & Humana, huma-
nitatis loquendo, vix non sit eversum:

ab

Authore Anonymo singulari fide conscripta,

Anno quo,

Regnantis Leopoldi primi ætate sVbLeste
rVlnatVr Pannonia.


VENETIIS, Typis Fratrum Veracii,
Constantini & Speracii.

R
2002-2003




*Spes confisa DEO nunquam confusa recedit,
Sed fruitur voto, nec mala fata timet.*

MArs Leopoldina sub mole gemiscere Gentē
Viderat Hungaricam, & Leges deflere se-
pultas;
Nunc mihi Ferdinādi quantumvis Hungare Primi
Objice sævitiem, dicit, violataque Jura,
Si magnis graviora æquas: Regem adspicē utrumq;
Hunc verasse dolos, Legesque evertere Regni
Incepisse; illum planē evertisse videbis.




ALF
KUNY
TARA

RATH BYÖRSE
KÖNYVTÁRA



QUod calamitosissimis hisce temporibus, que
atatem nostram, inauditā planē austerita-
te in Regno Hungariae exercent, per editio-
nem exigui hujus, quem cernis Libelli in me-
dium prodeam, non est ut mireris, Benevole ac Chri-
stiane Lector! hac enim ratione, cum secus hac vice ne-
queam, tibi prodesse studui, ut & amorem erga te meum
Clarissimis rerum documentis, Tibi comprobarem, &
publicè testarer, quo animo, Nativus Ego Hungarus,
hanc modernam, suavisissima quondam Patriæ Calami-
tatem ferrem. Eā autem cum tanta sit, ut nulla atas, in
præterlapsis dudum seculis, parem possit enumerare: Id-
circo quo in mari naviges, & quibus æstibus navis Reipu-
blica nostra Hungarica, per duo propemodum Sacula hinc
indè jactata sit, ac tandem ad exitiosissimos scopulos, ex-
tremumque (:nī Superi adsint:) naufragium, sub Dire-
ctione Regimineque Domus Austriacæ sit illisa, clarissi-
mis ex documentis experieris, si longævam Majorum no-
strorum felicitatem, Libertatemque cum nostro exitio,
Servituteque conferre fueris aggressus.



Gens Hungarica sexcentis jam Annis, nulli Toti Orbis Populorum vel constantissima animorum fortitudine, vel summa in Religionis Christianae devotione cessit, adeo, ut post occupatam Jure & Gentium, & Armorum Paenoniam, non modo sese, verum etiam rem Christianam aeternam suam gloriam sit tutata. Ut non immerito ab aequis Virtutum Hungaricarum Censoribus, Christiana Hungaria, Orbis Mesiiae Sacrae, fortissimum Propugnaculum, quin imo (licet ita loqui) Antemurale fuerit, ac hocce Elogio Publicis in Historicorum scriptis, jam dudum sit dignata. Cui gentili gloriae tanto temporum intervallo continuatae, nulla res uberius Hungaricae Genti argumentum suppeditavit, quam quod proprio est sanguine Regale ad fastigium. Tales plerosque eveheret Magnates, qui praeter Principalem sanguinis claritudinem, ingentem erga Populum Hungaricum Amorem, erga Magnates Principesque benevolentiam, erga omnes denique omnium Ordinum Subditos favorem sceptris Regalibus conjungerent. Quam primum autem mirabili ex permissione Divina Ludovicus Hungarorum Rex ad exitiosa Tomory, aliorumque similium Episcoporum Consilia, nostro exitio infamibus Mohacsensium in Campis rei summam armis & concrederet, & ipse post debellatum Hungariae exercitum Regni gloriam infelici morte clauderet, illico totum Regnum Hungariae extremum in discrimen

discrimen praecipitatum est. Regni autem Proceres, nec non Nobilitas populusque tanto Rectore orbat, supremum decoris Patrii, gloriae Hungaricae, Libertatumque; tot per Saecula continuatarum diem videre: Nihilo tamen minus horrendo ex hoc non expectatae Calamitatis lapsu infelix Patria resurgere potuisset, alacriusque; animos & iras in hostem externum resumere, imo fasces & purpuram gloriae gentilis restituere, nisi Civilia animorum paucorum discrepantium studia classicum cecinissent, acinacesque; in jam jam emoriturae Patriae necem accinxissent, ac quod caput est Regem electum, splendore Majorum Conspicuum, propriisque; virtutum Speciminibus per omnes Hungarici Orbis Principatus decantatum, Hungarico autem ex semine natum rejecissent, externumque; ac quidem Austriaca e Domo, foelicitati Hungaricae, nunquam non invidenti, irato certe nobis Numine, praetulissent.

Quam primum autem per Catilinarium Adversariorum Conspirationem in Patriae exitium conspiratum esset, Ferdinandusque, Primus rerum potitus, ac Joanni Zapolio esset superinductus, e vestigio regnatricis Austria ingenti in Hungaros potenter regnandi cupiditate, eo universa sua Consilia convertit, ut ex validissimo quodam Hungariae Regno, nullum, & ex liberrimis Eiusdem Sceptri Civibus, vilissimam Totius Orbis mancipia faceret, ac iisdem pro lubitu abuteretur. Testantur hoc publicae cum Turcica Gente initae Transactiones, quas Pacis firmatae Conditiones appellamus; Testantur famigeratissimae Regni Hungariae Provinciae Turcico jugo sponte a Ferdinando relictae; quin & idem testatur omnino exanime propemodum Regni Hungariae Cadaver, fatalium e cinerum suorum ruinis, tot fortissimorum

rum Arcium rudera, per duces & Milites *Ferdinandeos* in primis suscepti regiminis annis expugnataram, deprædatarū, ac tandem funditus deletarum veluti ossa nec dum oblivione hominum sepulta, ostentans, ut non immerito *Ferdinandi* regi minis ætatem, illam officinam quis dixerit, ex qua omnia nostra mala emersere, illamque Palæstram omnijure appellari, in qua Hungaricæ gentis gloria cum Regia Regni nostri dignitate in pulveres sit redacta. At utinam *Serenissimi duo Domini* successores *Maximilianus* nimirum & *Rudolphus* in suscepta Regiminis Hungarici purpura illud saltem in colume in pace publica, in Conscientiarum Tranquillitate, in Egregia imperantium parentiumque harmonia, in Privilegiorum denique ac Libertatum antiquissimarum vigore conservassent; quod ad huc Turcicam, vicinorumq; hostium cladem videbatur ea tempestate evasisse, utique nectantis periculis circumfessos, nec deplorato jam remedio liberos, & vix non exanimis Hungariæ Cives, ad nutus suos dirigere, in Religionis negotiis ad anxietatem usque urgere, libertatum verò antiquarum violationibus ad desperationem usque propellere fuissent ausi. Dum autem antiqua in Rempublicam Christianam ab Hungarica Gente exantlata merita parvi habentur, beneficiumque ex Libera Statuum Hungaricorum voluntate Regni liberrimi, libere sed tamen sub certis Conditionibus, quas Leges Regni fundamentales vocant, oblatis, levius plumbæ æstimatur, contra verò ob minutissimum quorundam peccatillum, ignorantia Juris, vel negligentia supina, rarò autem iniquo ex proposito commissum, plumbæ omninò iræ adversus omnes Regnicolas geruntur; non potuit non Evangelii paulo ante in Regno acceptati libertas periclitari, cultus Divinus, juxta E-

vange-

vangelium JESU CHRISTI repurgatus, & reformatus prohiberi, Templum *Cassoviense* majus Evangelicæ Confessionis, cum aliis quam plurimis adimi. In Civili autem Regni administratione contra omnes Regni Libertates Officium Palatinale exulare, *Generalatus Cassoviensis, Jauri-ensis, Varasdiensis*, & alii in exteros conferri, majoraque & minora officia pleraque tantummodo ne formam Regiminis antiqui Hungaria retineret, per collationem in exteros, vel immutari, vel penitus per intermissam in Nativos Hungaros collationem everti, & denique omnes Regni Libertatis labefactari.

Ac licet in lubrico fœlicitatis suæ constituti Hugaricæ Status hanc Libertatum suarum jacturam non modo adverterent, verum etiam humillimis ad suas Majestates directis intercessionibus omnem lapidem moverent, supplicarentq; sæpissimè, ne antiquissimorum Hngariæ Regum indultæ Libertates, Regiique Senatus, de Magistratibus Officialibusque Regni constituendis, toties approbata edicta, uti & consvetæ, interque Regiam Majestatem & Proceres Regni articulatae Pactiones, & judiciis juxta Jura Regni rectè instituendis, stipulationes propter formulas Conditionum Regalium exercerentur; Tamen immenso um sumptuum, jacturam, laborumque suorum operam indefessam experti sunt inanem. Ne verò omnium actuum humanarum Justissimus Compensator Deus, valentiori somno sopitus esse causaretur, quam ut curam contra omne fas oppressæ gentis nostræ ullam habere videretur, in tempore planè se se ostendit præsentem; atque fuit tunc iis, cum de *Patria*, & pro ejusdem *Libertatibus* laborarent ne Majores, indomitaque sua potentiâ hoc effecit, ut dum ab iis maxima in

Cala-

Calamitate invocaretur, adversa Consilia, Casus, & fortunam adversariorum oppugnarent, quin imò foelici successu expugnarent. Quo Duce quæris? non alio certè quam *Stephano Bocskai*, quem Patria extorrem sæviens inimicorum invidia adeo fecerat, ut per varia discrimina edoctus, languentes Hungarorum *Pro DEO & Patria, Lege & grege*, pugnantium animos, ad subeunda pericula excitaret concitatos, parvulis è Castris in salutem omnium Hungarorum, educeret, Austriacamque potentiam Hungaricæ Libertati prægravem ita temperaret, ut Pax Religioni Orthodoxæ, Libertas verò Regno, & Officia omnia tam Civilia, quam bellica, majora & minora antiquo nitore, Virisque Hungarico è sanguine ortis restituerentur, attestantibus id, non modo fidis rerum Historicarum Scriptoribus, sed & Actibus & Pactis Viennensibus Anno 1606, ab utraque parte comprobatis, Publicisque in Comitibus post hæc sæpissimè tum repetitis cum comprobatis.

Quemadmodum itaque Prædictis Austriaca è Domo Regni Hungariæ Principibus a natura quasi insita fuit, hæc *præter Leges, supra Leges, & contra Leges*, nobis dominandi cupido; Ita *Ferdinandus Secundus* inclusa animi sui visceribus Hungariæ taliter imperitandi semina, non modo statim post susceptum Regimen ostendit, verum oblati quibusvis occasionibus per illatas Gentis nostræ Calamitates restatum fecit, se ab exitioso *Ferdinandi Primi* instituto de Hungaria libera, in Hæreditariam convertenda, ne latum, unguem quidem discedere velle. Hinc post excessum Evangelicis Ecclesiis plane luctuosum *Stephani Bocskai*, quæ Libertati Hungariæ vulnera inflicta sint, & quâ atrocitate sancta, præprimis Religio Evangelica jam clanculum atten-

tata

tata, jam aperta sæveritate oppugnata, jam denique per infanda Religionis Pontificæ defensorum Consilia, gravissime afflicta fuerit, ex relationibus Historicis abunde constat. Ac tunc quidem de Hungarica Libertate tam Regni, quam Religionis (:humanitùs loquendo:) actum fuisset, nisi humilem è pulvere *Gabrielem Bethlenium* excitasset, ac in solium Regali fastigio super ideo erexisset, omnium ille Rector DEUS, ut alter veluti *Gedeon*, Superiorum Principum laudem virtute & gloria Libertatis Regni Hungariæ, Religionisque repurgatæ foeliciter conservatæ, & ad nostram ætatem usque propagatæ antecelleret Universos. Licet autem per Sancta Pacis tœdera omnia læsarum Partium dissidia, & simultates ita hac vice sopita esse videbantur, ut sublato hoc omnium ordinum Regni tumultu Pax sincera, & constans etiam inter alios homines firmata crederetur, qui ad armorem fragorem perpetuasque dissensiones, se natos esse ideo profitebantur, quod ad mutuam usque cædem, cum perpetua Republicæ clade fere indies certarent, tamen eventus paulo post docuit, quam exiguæ fidei, fluxæque Constantiæ fœdera illa Sacramento Regio firmata ex parte Austriacorum fuerint. Vix namque post decursum, unius alteriusve *Anni*, a nobis iustissimis de causis olim exoptati, simulatio larvam dexteritatis deposuit, & ad ingenium antiquæ adversus Evangelium & Libertatem Regni Austeritatis dudum conceptæ, regrediens, ostendit, quam lethalia, formoso sub specificationis *Bethlenianæ* colore latitarint venena. Hac duce, in ima Libertatis Regni & Religionis Evangelicæ viscera, tunc demum sævitum est dum in illos, qui innocentiam, secundum cœlestem lumen, solam pro Patrono habebant, tela maledictorū jactabantur, & imitte-

bantur, ac intolerando, miserrimæ Evangelicorum per Hungariam Ecclesiæ, ædes Sacræ, Tempa, Scholæque contra datam fidem, fœdus & Regia Pacta, vel sexcentis in locis adimebantur.

Quibus in decumanis persecutionum fluctibus, etsi Rege Hungariæ *Ferdinando Tertio* jam existente, omnibus ex partibus afflictissimus Evangelicorum Ordo omnia bene sperabat, credebaturq; fore, ut quibus *Anno 1638*, de Religionis Evangelicæ Conservatione, Conditionibus in Publicis Comitibus subscripsisset, jure jurandoque confirmasset, hæc Sacrosancta, & nullius malevolentia everterentur: Tamen præter opinionem omni spe est frustratus.

Ut potè sub quo non modo multis Ecclesiarum Evangelicarum Antifutibus, igne & aqua, in Hungaria, vicinisque Provinciis interdictum est, verum & post amissionem Officii Ecclesiarum, omniumque dignitatum, effectum est ut miseri extorres, juxta verba *Perpiniani* pro Domo Mundum, pro tecto Coelum, pro lecto solum, pro pane fructus agrestes, fluvialeque aquam pro vino haberent. Ne tamen hanc iniquitatem impunitam ferret, DEO, ejusque sanctis operibus, semper Contrarius, semperque sibi similis Mundus immundus, tempore planè oportuno, ad Compelcendos hos Orci furores, *Principem Transylvania*, quâ Virtutes animi optimum, Religionis amorem zelosissimû, Patriæ defensionem, vigilantissimum, Hungariæ Gentis Conservationem, cunctis omnino *Heroibus* omni ævo jure anteponendum *Georgium Rakoczium Primum DEUS* excitavit, cujus hæc à primo suscepti in *Trásylvania* Principatûs die, summa cura fuit, ut Majorum suorum laudem, Regni-que Hungariæ Majestatem ob temporum injuriam, ac præ-
ter om-

ter omne fas, adversus Regni gloriam invalescentem, Dõmus Austriacæ Potentiam refringeret; obrutam verò in Regno Hungariæ, variis persecutionibus Religionis Libertatem, longo intervallo renovaret. Quinimò veluti vindex Coelo demissus, Jura foro, Templis Sacra, Regno Libertatem avitam, Cives, Exules Patriæ, ac sua denique Cunctis, ad tanti operis gloriosam consummationem, Hungariæ Proceribus nulla superstitionum persuasionem dementatis, faustoque omine concurrentibus restituit: licet quoad restitutionem Templorum Evangelicis vi ademptorum, cæterasque *Statuum* à præcedentibus Regibus indultas Libertates non omni ex parte, uti conabatur, attestantibus hoc publicis Comitiorum Actibus Articulisque *Anno 1647*, editis. Ast quamdiù dulcissimum hoc Pacis restitutæ, Libertatis Regni reductæ, Evangeliique non ulterius prosequendi nomen duravit? res ipsa tacendo loquitur, & aperte declarat has Pacis Transactiones *speciosas verbis, re inanes*: Quinimò *subdolas* fuisse. Nec dum etenim biennium pacifico decursu elapsum erat, & ecce? ad Consvetas Rationis *Statûs* artes reditum est: variisque Artibus idem, quod *Sacramento* æternùm duraturo Confirmatû erat, interpretatione multiplici ac tortuosa, ita est eversum hoc pacis opus, ut ignores, quos inflexus atque anfractus in se se receperit, toties revocata & reprobata, toties armis ejecta, iisdemque restituta, totiesque propugnata, ac rursus expugnata, Regni Hungariæ olim Summis Divorum Regum Privilegiis stabilita Libertas, prout ex Hystoriis, Actibusque Diætalibus Comitiorum Regni *Anni 1649. & 1655.* constat.

Ne verò à genio Serenissimorum Dominorum Antecessorum recessisse videretur modernus Hungariæ Rex

Leopoldus, nimia in Hungaricam Libertatem indulgentia, mox post susceptum Diadema, comprobavit se, per viam & vestigia Rationis Status majorum instituti, ut per tritum iterum, nec in regendis Hungariæ habenis de Curriculo Domini Parentis discessurum. Nam etsi Anno 1655. in Publico omnium Procerum, Statuumque Regni Conventu, Paceque totius Hungariæ Publicâ adeoque extra omnem armorum metum constitutus. Sponte, & benevole, verbo, Regiaque fide Universis Regni Statibus pollicitus fuerit se *Diplomati*, omnibusque de Libertate Hungarica tam Civili, quam Ecclesiastica Transactionibus, inter *Serenissimum Dominum Parentem, Dominum Ferdinandum Tertium, & Georgium Rakoczium Primum* in salutem, Pacem & Tranquillitatem Regni Complianatis, Regia fide satisfacturum Juramentique quod toti Regno in suis Libertatibus Conservando, Tempore coronationis sub dio præstiterat, nunquam non memorem futurum: Tamen quo eventu hæc omnia comprobata sint, meum non est referre. Tu ipse *Lector Christiane!* ab Anno 1655. usque ad Annum 1662. omnia gesta tibi in memoriam revoca, & videbis Hungariam nunquam magis de suis Libertatibus laborasse, quam ubi Tabulis Diplomatum & Privilegiorum inanibus plena securitas promissa est, ac Jus jurandum, inter Aulæ instrumenta habitum, cujus subsidio, Viri, Puerorum instar vacuis nucum putaminibus, pro lubitu circumducerentur.

Quando enim religiosa Evangelicorum Libertas magis periclitata est? quando Universalis Evangelicarum Ecclesiarum deformatio majori Tyrannide sævit? Quando promissioni Regiæ, de Libertatibus Regni labefactatis, ac resti-

restituendis minus satisfactum? Quando gravaminibus Statuum Regni non complianatis, in negotiis Comitiorum ita processum est, ut gravamina Statuum, sive bus promissis ad ultimos Comitiorum dies dilata, & denique sine ulla decisione, contra omnia Jura, Consuetudinesque Regni, neglecta sunt? Quando septem Humillimæ *Statuum Regni Hungariæ Supplicationes*, à Regibus anterioribus, ita contemptim una in Diæta exceptæ sunt, ut ne responsione quidem ulla Status sint dignari, aut gravamina Ordinū, juxta dictam *Diplomatum*, ac Regiam Clementiam componere, non sint conati? Quando post Legatorum Comitatum Plurimorum ob non composita Gravamina discessum, Reges Antiquiores, Paucorum cum assensu, Articulos Regno præscripserunt, ac Regnicolis invitis Contradicientibusque obtruserunt, aliaque hæctenus inaudita in Libero Hungariæ Regno statuerunt, uti in hac infœlici Diæta *Anni 1662.* conclusi Regnoque obtrusi fuerunt? Ac ut à prædicto *Anno 1662.* ad nostra usque tempora dilabamur, quis Hungariam ope subsidiorum quam maximè indigam omni defensione destituit? Quis Christianorum Imperii *Romani Principum* auxilia in magna Copiarum abundantia, in salutem Hungariæ non impendit? Quis *Arcem Varadiensem* Toto Orbe decantatissimam, aliaque quam plurima Fortalitia in conspectu ociosorum suorum militum Turcis citra omnem defensionem permisit occupandam? Quis *Ujvarinum* germanicè *Neubausen* dictum, Christianitatis Portum securissimum, necessaria defensione extremo in periculo destituit? Quis multos Centenos Oppida & Pagos Turcicæ crudelitati concessit? vel vastandos, vel æternæ servituti mancipandos? Quis post Divinitus obtentam,

tam maximeque memorabilem victoriam cum hoste Christiani nominis turpem, ignominiosamque pacem composuit. Quis hostium suorum Victor, à Victis Conditiones Pacis, cum æterno Christiani nominis pudore accepit? Quis ex Regibus Hungariæ, eousque bellicosâ Regni Hungariæ Gentem Proceresque despiciatui habuit, utiis non tantum non consentientibus, verum & omnium rerum ignaris, Pacem de Regno Hungariæ Publicam concludere ausus fuisset? Quis Fortalitium *Székebyid* sua fortitudine famosum, ad vires *Transylvanicas* enervandas solo æquavit? Quis Templum *Schemnicense Montana Civitatis* exquisita fraude doloque per milites Germanos occupari fecit? Quis Articularem & legitimû Processum contra Viduam *Rakoczianam* institutum Mandatis & Armis turbavit? Lege quæso Supplicationem Tredecim Comitatum Superiorum ex Consultatione Eperjesiensi ad Aulam transmissam, & hæc aliaque quam plurima his haud minora gravamina invenies: Quis denique ex Septemdecim *Conditionibus* sui *Diplomatis Regij*, ut cœterarum Constitutionum Regiarum, Privilegiorumque Ordinum Regni, nullam & hic mentionem faciam, vix unam aut alteram, durante Regia in *Hungaria* potestate in vigore retinuit? abi & ex *Congregatione Neosoliensi* novissima, Transmissam humillimam Ordinum tam Tredecim Comitatum, quam Comitatum Cis-Danubianorum Supplicationem lege, ac omnia ad pilum usque verissima hæc invenies. Cum itaque intolerandis hisce adversus Regni Hungariæ jura Calamitatibus Gens Hungara afficeretur, patientiæ ulterius pertæsa, sæpè non modo sanguineis propemodum lachrymis miseriæ suæ comploravit, verum etiam de remediis salutis suæ conservandæ anxie sollicita fuit.

Uti-

Utinam autem quorundam Procerum *Francisco Rakoczio* adherentium privata studia non eousque proterviæ prolapsa fuissent, ut Jure Armorum in Regiam Majestatem motorum potius, quam publicarum Constitutionum subsidio, seque & Libertates Regni tutari fuissent ausi! Profectò nec sibi, rebusque suis, nec toti Regno hocce, in quo luctuamur exitium, potuissent procurare. Cum autem hi pauci sine Consensu procerum, Potiorum Regni, notitiaque, & voluntate Comitatum, libertatem Hungariæ antiquo in vigore conservare volentium, imo citra applausum Liberarum Regiarumque Civitatum, usque ad ultimum exercitus Regalis in Hungariam ingressus momentum, uti & postea Regiæ Majestatis in fidelitate permanentium, Rempublicam Hungariæ in tantum discrimen adducerent, seque à communi Reipublicæ corpore separarent, occasionem dudum optatam Domui Austriacæ ultrò suppeditarunt, ut in paucis certare volentibus, universi pro Convictis, & cum *Pannonia Debellata*, debellatis proclamemur, proque *Rebellibus suæ Majestatis immeritò habeamur*, bonis nostris ceu Criminis læsæ *Majestatis* rei orbemur, in vincula gravissima Conjiciamur, fame, & siti, teterrimis in Carceribus maceremur, sævissimisque non modo inquisitionibus, manibus Carnificum in Nos exercendis, sed & morti, quæ excogitari possit, omnium funestissimæ objiciamur. Quandoquidem autem infirmum hunc in animi furorem pauci inciderant, novosque hos motus, non tam ingenii, aut naturæ quam deplorandæ Conditionis vitio, & extrema ex necessitate, permittentibus etiam legibus Patriis, ad calcem hujus Libelli, expressis fuerant moliti: Cur ergo in Univerfos propemodum Proceres Sæviturum est? Cur Civitates, fidelitatis Regiæ

Regiæ nunquam oblitæ, ac innocentes pro hostilibus habitæ sunt? Cur gravissimis exactioibus enervatæ? Cur Præfidiis Militaribus quasi *Hannibal ad portas* esset, supra omnium virium facultatem, & contra avita tam Privilegia, quam Literas Regis *Leopoldi* innocentiam earundem & laudantes & comprobantes, sunt gravatæ? Ac licet pauci obsequium Regale, contra Leges Patrias exuissent (quod tamen factum esse nego:) hic nefuisset processus contra illos instituendus? infantesque cum noxiis, quostales Libertatem Regni malitiose pervertentes, falso quidem prætendunt, necdum Citatis, auditis & Convictis contra Jura Regni damnandi? Luculentissimæ profectò Conditiones Diplomatum Regionum sunt, Clarissimaquæ Legum, Constitutionum & Articulorum verba, quæ Univerſa qui negligit, qui susque deque habet, qui utraq; aures ad humillimas supplicantium, subsidiumque è Legibus Patriis, & Salutem è Conditionibus Regiis petentium Procerum preces claudit; Causam motuum in Republica gravissimorum deliberatâ animi voluntate luppeditat, ac studio perdit præcipitesque agit, quos simulat se velle conservare. Arma hos Paucos adversus Regiam Majestatem sumpsisse novosque per motus Regni Conservationem molitos esse ais? Si ita est, ac horum excisione *Pannonia* debellanda erat, armis opprimendi fuissent, ut Jure belli cecidisse cum illis videremur, ac non manifesto Regio ad singulos Comitatus per totum Regnum circummissis verbis hisce Regiis ab Armis revocandi, ut; *Quicumque ad priora regrederentur, à Francisco Rakoczio recederent, ac infidelitate Sux Majestatis permanerent, nulla injuria vel belli calamitate essent premendi, aut exterminandi; vel vero si cuncti ad nutum Sux Majestatis Arma de-*

posu-

posuissent, Clementiamque Regiam suo obsequio consecuti essent, imo ad sua regressi, in pace, citra ullius injuriam vixissent (uti revera voluntati Sux Majestatis ex asse satisfacerant ad unum fere omnes) cur in pace tam exiguo Literarum paucarum discrimine restituta, subsidia Pacis non valère? Imperiorumque mitis ac mollis illa Diva Clementia, Vindictæ non prævaluit? quin *gratia Regia*, injuriam, bellicque Calamitatem, verbo Regio *Rakoczianis* partibus remissam, media pace, per exercitum Cæsareum, Hungariæ, Duce Generali *Sporkio*, immisum, ita sæverissimis factis exasperavit, ut promiscue omnes caperentur, Carceribus includerentur, & pro Notæ infidelitatis Reis haberentur, quicūque aut fœlici discessu, promptissima discrimina evasisent, aut in suspitione essent adversæ in Regiam Majestatem voluntatis? Cur Triplex Comitatum Superiorum, eaque humillima per delegatos suos speciales facta apud Sux Majestatem instantia, nihil omnino valuit? nec cum Sux Majestas manifestè de nulla *Calamitate injuriaque bellica Regno Hungaria*, vel ejusdem Civibus ad obsequium Regale regressis interenda; Contra verò de *securitate* quasi per *Amnistiam*, promissa moneretur, cur omnia silentio prætermisit? aliasque Literas *Affecutorias* per totum Regnum trāsmisit significans, se in omnibus juxta Patrias Constitutiones processurum? An autem Processus modernus Literis *Affecutoris* iteratis vicibus ad Regnicolas missis vel minima in parte respondeat, *DEUS SANCTISSIMUS & Mundus Justitia*, atque *æquitati Sacratu* dijudicabunt. Qui enim post deserta *Rakocziana Castra*, pacis Consilia à Sux Majestate oblata, paulo ante sectati sunt, hi præter omnem expectationem, à milite Cæsareano ex improvviso sunt ador-

C

ti, in-

ti, ingentemque armorum violentiam experti: qui *Nota Infidelitatis* per Armorum *Rakoczanorum* assumptionem rei arguebantur, verum omnem præensam infidelitatem, & per obsequium, & Armorum depositionem apud Suam Majestatem eluerant, hi ceu *Sacræ Majestatis Rebelles* proclamati sunt, rebusque suis spoliati, gravissimaque in vincula vel coniecti, vel sævissima Martis virgula Patria ejecti: qui post spontaneum ad Pacem Publicam Suamque Majestatem regressum, nulla injuria vel belli calamitate affiendi, multo minus exterminandi erant, hi per Captivitatem insperatam sævissima in vincula abrepti sunt, infandasque injurias, & belli Calamitates non modo in pace, sub specie pacis, sunt experti; Sed & pro foelicissimis habiti, quibus fuga exilium peperit, & miserabile hoc vitæ remedium, securitatem, ne inauditi vincerentur, injuriis lacerarentur, Contra fas, & æquum Condemnarentur, ac penitus è vivorum censu exterminarentur. Quibus iterata *Assecuratione*, sub fide Regia, Majestas Regia, hanc Confidentiam plenissimam fecerat, fore, ut omnia juxta *Constitutiones* patrias ordinario & legitimo Processu dijudicarentur, cum his ne quoad *pro* quidem juxta *Constitutiones* Patrias, & Jura Nobilium tot retro Sæculis Privilegiatorum est processum: quibus denique specialissima Regiæ Majestatis gratia propriis manibus exarata & data est, hi hoc, ex speciali gratia hac Regia, emolumentum Consecuti sunt, ut apud Exteros, Carcere, & animi & Corporis duplicato onerentur, dum exteris vinculis constricti, ac veluti Triumphati, hinc inde rapti prostituuntur, ac è Penatibus Regni deportati Triste exilium, cum siti & fame conjungunt. Ut hic vel maximè locum habeant, ingeniosi *Sribanii* verba monentis:

tis: *Time quisquis præter morem, speciosioribus verbis tanquam floribus integris utitur. Memento Aucupum, dum ludunt fallunt, nec nisi ludant, fallunt. Nil possunt sine cantu Retia, cantata fallunt, non fallunt muta.* At esto Partium *Rakoczanorum* Sectatoribus *Nota infidelitatis* inuri potuerit, ac vel ideò hisce juxta exitiosissimum *Jesavitarum Axioma* Regia fides vel ideò non fuerit servanda, quod multi illorum à Pontificia Religione alieni fuerint, & vel ob hanc causam, contra Assecutorias Regales, Citra Patrias Leges (juxta quas Nobilis Regni nisi legitimè Citatus, & Juris ordine juxta *Privilegia Nobilitatis* instituto Criminis *Convictus damnari* non possit) capiendi, incarcerandi, in exilium agendi, ac ante Convictionem, omni substantia, & Libertate Regni venerint privandi. Cur autem foeminae *Rakoczanorum* studiorum propter sexus imbecillitatem, vel sola miserabilitate expertes in Captivitatem tractæ sunt? Cur bona eorum & horum, quos luctuoso in exilio dura Calamitas premit, ante Sententiam in Publicis Comitibus, Consensu omnium Regni Statuum ferendam, ceu hærede vacua occupantur, occupata vel diripiuntur, vel Fisco Regio, sive mobilia, sive imobilia sint applicantur? Cur Regni Proceres Nobilesque motuum *Rokoczanorum* plane immunes dira in captivitate, tam in Regno, quam extra regnum detinentur? Cur in corpora nonnullorum jam in Domino defunctorum, de quorum innocentia omninò constat. (*proh dolor!*) etiam contra *Jus gentium* lævitur, & hæc insepulta Carnificum furoribus reservantur? Cur bona ante Sententiam latam, defunctorum, ac ad liberos, vel hæredes proximos omni Jure devoluta Prædonum instar, iniquissimi Militis libidini relinquuntur? Cur Arces ante Possessorum suorum legitimam

Convictionem armis circumdandæ, ac nisi è vestigio deditæ sint, igne, flammaque veluti hostiles fuerunt domandæ? Cur denique Arces sub fide Publica Generalis Campi Ducatoris deditæ contra sponfionem, fidemque Publicam, infanda perfidia omnibus bonis sunt spoliatæ? Militesque in Arcibus Præfidiarii contra fidem datam post traditas Arces ultimo supplicio affecti? Hoc hoc scilicet erat secundum Processum Constitutionum Patriarum procedere, nullaque vel injuria, vel belli Calamitate quenquam premere, multo minus exterminare.

Verum aliam mihi *Christiane Lector!* Pannonia a Sua Majestate armis tentatæ, invasæ & occupatæ causam oggeris; eam nimirum quæ ex *Vesseliniana Congregatione* ante aliquot Annos originem traxit, in qua rem contra Regiam Majestatem à Proceribus Regni tanta sæveritate actam fuisset, ut in apertam Rebellionem conspirarint, nominatque propria, fatali illa in charta, ita jurejurando Conjuxerint, ut Pœnitentiæ ne rima quidem manserit superstes: *Sed audi!* Adeonererum Hungaricarum es ignarus ut omnem adversus Regiam Majestatem Statuum Hungaricorum insurrectionem, rebellionem ac seditionem putes? *Falleris & omnino fallis* Te ipsum aliosque: legitime agit, quisquis suo Jure utitur, nec quenquam lædit, qui vitæ, Salutis & Libertatis suæ ut consulat, citra culpam, vindictâ jurelicitâ, adversus injurias seque suaq; tuetur. Perlege si placet *Inviçitissimi* quondam Hungariæ Regis *Andrea Secundi Hyerosolimitani* dicti, Regia Decreta, & in his Aureas Hungaricorum Statuum immunitates, Libertates & Privilegia: invenies inter omnia autem hoc Palmare, quo mediante Statibus Regni Hungariæ hæc immunitas indulta est, ac Sacramento

omni-

omnium in Throno Regio Hungariæ, Serenissimorum Successorum, quin & modernæ Regiæ Majestatis est Confirmata. Cujus Tenor hic est: *ut quotiescunque Rex in Regia administratione, per vagam regnandi libidinem deficeret, vel subditos Regni insuetis gravaminibus oneraret, vel post habitis Legibus Fundamentalibus, Constitutionibus Publicis, Privilegiisque indultis, imò vel contra Jusjurandum Regno, & Sacra Coronæ prestitum imperaret, toties immunis Statuum Regni in Suum Regem insurrectio etiam armata esse posset.* Si itaque à multis retro sæculis, ad hodiernum usque diem Statibus Regni integrum fuit in prædictis Casibus, Armis contra Regem suum sine nota infidelitatis insurgere, quidni etiam cum Regni Palatino de Republica Tot nominibus gravatâ contra Leges Fundamentales, Constitutiones, & Jura Regni, Ordinumque administrata, contra Jusjurandum Regium ad servilem usque miseriam, præter omne fas æquumque, uti jam ostensum est rodacta, cōsultare potuerint, ac se se de pristina Libertate, uti & decore Regni reducendo, datis utrinque manibus, nominibusque obligare? aut si hæc Libertatis Hungariæ potissima Lex, Suæ Majestati, tempore liberæ Electionis, aliquid Rebellionis, seditionisque sapere videbatur, cur ergo tam in Diplomate Regio, quam Jurejurando a Sua Majestate confirmata est, nec vel minima Protestatione in dubium vocata. Ex quibus omnibus Sole clarius conspicerere potes, quo colore, omni Jure licita illa Statuum cum *Vesselinio* ceu *Palatino* Regni Hungariæ inita Insurrectionis Transactio, Rebellionis atque Seditionis odiosissimis nominibus fœdetur Totique Mundo imponatur ingenti Gentis Hungariæ dedecore: Ut quivis Jurium nostrorum ignarus, fietas in nos calumnias, iparlatque

C3

que

que adversus Regni Status *Jesavitarum* mendacia, quibus non modo pro verissimis habeat, verum etiam Hungaricam Gentem, hac vice innoxiam, Parricidarum, Latronumque detestandorum loco censeat, indignamque æstimet, quam Cœlum Aura vitali dignetur. Interea Justissimo DEO favente ac Teste innocentem a' Crimine Rebellionis, seditionisque vitam ducimus, & nec ob actæ vitæ infidelem turpitudinis notam profiteamur; verum malevolorum quorundam furorem, contra omnium Gentium Jura innoxii luimus. *Verum ecce!* deploranda in Captivitate constituti, Tribunali; Non totius Regni, publicis in Comitiis Regiè erigendi; aut quorundam livore & invidia adversus Columbinam Evangelicorum innocentiam, ardentium sistuntur, de natione, Patria, loco habitationis, Religione, Rebellionis sociis, aliisque quamplurimis, ad Hispanicæ Inquisitionis usque diritatem, paulo post processuram, ubi miserimos Exules sæverissimis Regiæ Citationis Literis die 22. Decembris Anni præteriti emissæ, in Antris montium occultatos, vel Præsidio Tenebrarum in alia Regna & Principatus dilapsos ad *Posoniense* Tribunal pertraxerunt.


Tu autem quis quis es, qui patriam, Libertatem sanis Consiliis, a' Contemptu, intolerabilique servitutis jugo, vel consiliis vel facto, juxta indultam Regis *Andreae Secundi* immunitatem vindicare conatus es, Magnis hac vice nominibus ne crede, verum in Exilio dura, exitium fuge, rebusque remet inter ambigua serva secundis. Exemplo Bohemorum Procerum sapere disce, eodem per Citationes procedendi modo Circumventorum, eodemque sub colore Rebellionis ac Seditionis, ac revera Evangelicæ Religionis excin-

excindendæ causa, Captorum, Contra Privilegia Regni omnibus bonis suis spoliatorum, ac tandem Anno 1621. infandis suppliciis interemptorum. Cui Christianæ meæ adhortationi si fidem omnem denegaveris, vide ut Historiam Persecutionis Ecclesiæ Bohemicæ Anno 1648. editam Tibi compares, cujus exlectione, rem quæ ex hac Tempestate in Regno Hungariæ agitur, non modo exactissimè intelliges, verum etiam obrerum Processusque, qui a' *Domo Austriaca* cum Infidelitatis de Nota accusatis *Posonii* instituitur, similitudinem, judicio incorrupto ita percipies, ut de futura Patriæ, Tuæque salute futura propria Industria possis hariolari. Vel vero si propter *Aurei* hujus Libelli defectum voti Tui è vestigio compos fieri non possis, saltem hoc age, *Tu quis quis es, aut cujuscunque Religionis*, ut odium ex Religionis diversitate erga Tuum sanguinem conceptum, deponas, & de eo quam maximè sollicitus sis, ne in *Pannonia* nunquam olim armis, hac autem tempestate dolo, fraudeque oppugnata; aut nondum *Armis* debellata, uti quidam *Thrasonicè*, sed falso gloriatur, animam in misera, *Bohemicaque* quam simillima servitute cum æterno Nominis Hungarici dedecore trahas. *Vale in Christo Jesu! vale*

Deo, & vive Patria! Candidissimumque hunc meum affectum ex meritis æstimare perge.

Stat à tergo Divina Nemesis!





que adversus Regni Status *Jesavitarum* mendacia, quivis non modo pro verissimis habeat, verum etiam Hungaricam Gentem, hac vice innoxiam, Parricidarum, Latronumque detestandorum loco censeat, indignamque æstimet, quam Cœlum Aura vitali dignetur. Interea Justissimo DEO favente ac Teste innocentem a' Crimine Rebellionis, seditionisque vitam ducimus, & nec ob actæ vitæ infidelem turpitudinis notam profiteamur; verum malevolorum quorundam furorem, contra omnium Gentium Jura innoxii luimus. *Verum ecce!* deploranda in Captivitate constituti, Tribunali; Non totius Regni, publicis in Comitibus Regiè erigendi; ast quorundam livore & invidia adversus Columbinam Evangelicorum innocentiam, ardentium sistuntur, de natione, Patria, loco habitationis, Religione, Rebellionis sociis, aliisque quamplurimis, ad Hispanicæ Inquisitionis usque diritatem, paulo post processuram, ubi miserimos Exules sæverissimis Regiæ Citationis Literis die 22. Decembris Anni præteriti emissæ, in Antris montium occultatos, vel Præsidio Tenebrarum in alia Regna & Principatus dilapsos ad *Posoniense* Tribunal pertraxerunt.

Tu autem quis quis es, qui patriam, Libertatem sanis Consiliis, a' Contemptu, intolerabilique servitutis jugo, vel consiliis vel facto, juxta indultam Regis *Andreae Secundi* immunitatem vindicare conatus es, Magnis hac vice nominibus ne crede, verum in Exilio dura, exitium fuge, rebusque remet inter ambigua serva secundis. Exemplo Bohemorum Procerum sapere disce, eodem per Citationes procedendi modo Circumventorum, eodemque sub colore Rebellionis ac Seditionis, at revera Evangelicæ Religionis excin-

excindendæ causa, Captorum, Contra Privilegia Regni omnibus bonis suis spoliatorum, ac tandem Anno 1621. infandis suppliciis interemptorum. Cui Christianæ meæ adhortationi si fidem omnem denegaveris, vide ut Historiam Persecutionis Ecclesiæ Bohemicæ Anno 1648. editam Tibi compares, cujus electione, rem quæ ex hac Tempestate in Regno Hungariæ agitur, non modo exactissimè intelliges, verum etiam obrerum Processusque, qui a' *Domo Austriaca* cum Infidelitatis de Nota accusatis *Posonii* instituitur, similitudinem, judicio incorrupto ita percipies, ut de futura Patriæ, Tuæque salute futura propria Industria possis hariolari. Vel vero si propter *Aurei* hujus Libelli defectum voti Tui è vestigio compos fieri non possis, saltem hoc age, *Tu quis quis es, aut cujuscunque Religionis*, ut odium ex Religionis diversitate erga Tuum sanguinem conceptum, deponas, & de eo quam maximè sollicitus sis, ne in *Pannonia* nunquam olim armis, hac autem tempestate *dolo, fraudeque* oppugnata; ast nondum *Armis debellata*, uti quidam Thralonicè, sed falso gloriatur, animam in misera, *Bohemicaque* quam simillima servitute cum æterno Nominis Hungarici dedecore trahas. *Vale in Christo Jesu! vale*

Deo, & vive Patria! Candidissimumque hunc meum affectum ex meritis æstimare perge.

Stat à tergo Divina Nemesis!



AKAD
KÖNYV
TÁRA

